

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



I. N. J. A.
INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,
DISPUTATIO IV.

Ex quâ
De

DEI ESSENTIA, UNITA-
TE ET OPERIBUS IN GE-
NERE;

Præside

JOH. BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.

Licentiato, Profels. Publico & ad D. Thomæ
Ecclesiasse;

Respondente

ANTONIO DAVIDE JANO;

Guelpherbyto-Brunsvicensi;

XVII. Febr. Anni 1648.

disputabitur.

LIPSIÆ,

Typis HENNINGI CÔLERI.



INTRODUCTIONIS AD LOCOS

DEI UTATI IN

EX

DEI ESSENTIA, UNITA-

TE ET OPERIBUS IN GE-

NERE

JOH. BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.

Licentiate, Profes. Publice & ad D. Thomae

Rechtshel.

ANTONIO DAVIDE JANO,

Geographico-Brunsvicensi;

XVII. de Amstelred.

et sine

LIT. M.

Typis Henningsii Cöleri





Ad Præstantissimum
Dn. Respondentem.

Scilicet in Studiis hic omnibus ordo sequendus
Qui Musis ornant, pectus, amice, suum,
Quas coluit LATIUM pars ævi prima dicitur
Litterulis, sapiens GRÆCIA quas coluit.
Posthæc præclaras Sophiæ nitatur in arces
Ignea mens, ætas altera quando fuit,
Abdita solertis naturæ fœdera pandat,
Frugè bonâ mores imbuat atque malos,
Seu tendens sursum leges exquirat olympi;
Aut tandem Imperiis explicet illa vias.
Hinc alias meditando artes, noctesque diesque
Discere flagrabat jura sacrata Dei.
Ut doctus doceat fidei quæ regula, monstrans
Cui soli ad sensum Numinis astra patent,
Et pulchrè firmet, capiat ne falsa popellus,
Imponatque dolum perfida turba gregi.
Hæc dudum laudis quoque lecta est orbita JANO,
Cui ratio vitæ nulla probata magis.
Sed testem quæris? vel præsens charta monebit,
In qua dissertat de Deitate Dei,
Num tentare putas qui mentis degener illud?
Omnis haud expers tota palæstra mihi,
Quæ geret, en JANUS versat! robustior ætas,
Et, quod vir tractet, nunc meditatur opus.

Quod auguratur in doctissimo Dn. Respondent.

amico suo suavissimo

M. Abrahamus Neth/ V Vitteb. Saxo.
Cun-

Cuncta licet, vastis quæ mundus continet ulnis,
Esse Deum summum, voceque reque probent;
Non tamen Humanæ patet ex dictamine mentis.

Quid Deus iste fiet: Pagina sacra docet!

Hęc Schola sancta Dei est, quæ mystica verba Tonantis
Edocet argutis non temeranda dolis.

Ergò JANE, Scholam sequeris dum Numinis alti,
Enthea quæ Verbi faxque Pharusq; micat,

Præfide CARPZ OVIÔ magno, mysteria dia

Atq; Deum verum voce fideque colis.

Maçte Tuis ausis! sacra astrue dogmata Jovæ-

Cui neq; principium, cui neq; finis erit.

Hiscè Præstantissimo DnoRESPONDENTI, Amico
suo integerrimo animitus gratu-
labatur.

Petrus Hermannus, Suetensis
Marchicus.



M. Abrahamus Suetensis
Cun-

CAPUT II.

De

Definitione & Essentia Dei.

I. DEUS *definiri* quidem non potest, sed tamen ex patefactione ipsius Dei, aliqua ejus *descriptio* ac summa colligitur, quantum nobis de Essentia & voluntate sua nobis revelavit, *Chemnit. pag. 59. 60.*

§. 1. **D**efiniri Deum non posse *Gentiles* etiam exploratum habuerunt, & *Patres* largè confessi sunt, ut operosè ostendit *Chemnitius pag. 58.* Quicquid enim definitur, dependet à partibus se à priori definiendis, estque compositum. Deus autem est independens & simplicissimus. Non habet *genus* per & propter *singularitatem* suam: per & propter *simplicitatem* suam ex *Genere* ac *differentia* non componitur: per *infinitatem*, à finito nostro intellectu, uno adæquato conceptu comprehendere non potest. Ut meritò non audiendi sint, qui *Spiritum de Deo & Angelis* tanquam *Genus verum Logicum*, etiam *analogicè* saltem, prædicari volunt, cum nulla proportio sit finiti ad infinitum, & *μὴ ὁμοτρόπως καὶ ἐξαιρέτως*, nomen *Spiritus* Deo competat.

§. 2. Et hinc judicandum est de *titulis* in Textu nostro scilicet in *Loco de Deo*; quando sub initium de *Deo in genere pag. 46.* & postea *pag. 73.* de *Deo in specie* tractari, annotatur. Magna hæc *αιυρολογία* est. Cum enim Deus nec *Genericam* nec *specificam* naturam habeat, sed *una numero essentia individua sit*, non nisi *characteristicis suis notis ac proprietatibus distincta*; de Deo etiam in *Genere* & in *Specie* agi non potest. Hinc Deus non ut *natura communis*, sed ut *eadem numero* prædicatur de *Deo Patre, Filio, & Spiritu S.* ineffabili & incomprehensibili modo. Unde non sine causâ ambigimus de autoritate titulorum horum, an à *Chemnitio* ipso ita fuerint formati; quin potius *Compileri* id tribuimus,

A

quis,

Disp. IV.

Respondente

Antonio

Davide Ja-

no, Guel-

pherbyto-

Brunsvi-

censi.

quisquis etiam is fuerit ad hanc rem à B. D. Pol. Lysero destinatus. V. B. Meisner. part. I. Phil. Sobr. Sect. IV. q. 3. pag. 1154. seqq. B. Gerbardus in Exeg. de Nat. Dei & attr. §. 89. 90. 120. B. Gravver. in Centur. qq. illustr. Disput. I. quest. 2. & in A. C. pag. 80. & 150. D. Christ. Matibia in Coll. II. Antiphot. in Exercit. I. Prob. III. p. 47. seq.

§. 3. Etiam si verò Deus definiri non potest, non tamen intereà mens humana de Deo cogitans, hinc inde vagari, certoque conceptu carere debet, sed omninò de Deo aliquid certum ex revelatione ejus concipere debet, in quo figatur, & ad quod in invocatione sese mens nostra referat. In quam rem expedit in promptu habere descriptionem quandam piscatoria simplicitatis studio ex Scriptura S. ab artificibus erutam. Chemnit. p. 60.

§. 4. Omni autem studiò curiositas hinc devitari, nec ad ipsa Essentia & voluntatis divinæ arcana ausu temerario accedi debet, id quod Chemnitius exponit verbis Ambrosii (quamvis isti libri non sint Ambrosii, sed Prosperii, ut videri potest Cent. IV. cap. X. Magdeb. fol. 1153. Bellarm. de Script. Eccl. pag. 95. & 153. Rivet. in Crit. Sacr. pag. 434. in cujus etiam operibus Colonia 1565. editis p. 286. & seq. habentur) ex lib. I. de vocat. gent. cap. 7. (seu ut in Prosperii Operibus habetur c. XXI. p. 294.) Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda; quæ autem manifesta sunt, non sunt neganda, ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Valdè etiam periculosum est, in gluvie quâdam fanaticâ mysteriis non revelatis inhiare, quod Chemnitius ex Prov. XXV, 27. probat, ex versione vulgatâ textum citans: Qui Scrutator Majestatis, opprimetur à gloria. De quo textu legi potest B. Frantzius de Interpret. Script. Orac. XLII. pag. 430. D. Glasius l. III. Philolog. Sacr. p. 183. D. Walther. in Offic. Bibl. pag. 381. D. Tarnov. in Exercit. pag. 140. Gerbard. Exeges. §. 6. p. 598.

II. Quia Deus est Essentia, & quidem numero una, in descriptione, non tantùm Essentialia ejus attributa commemorari, sed etiam expressè addi debet, quis sit, videl. Pater, Filius & Spiritus S. Chemn. p. 65.

I. Quod

§. 1. Quod supra pag. 37. Chemnitius noster de definitionibus rerum Theologicarum graviter monuit, id ipsemet hic cautè observat, & non modò collationem aliquam definitionum tum à Philosophis, tum ab Ecclesiasticis scriptoribus traditarum, instituit, sed etiam satis habet, descriptionem à Philippo dextrè traditam in sua membra resolvere, quorum (1.) attributa Essentialia (2.) relationes ac notiones personarum (3.) voluntatem Dei in actione generali manifestatam, & (4.) voluntatem in actione speciali ostensam, concernit & evolvit; pag. 61. 62. 63. 64. V. Gerhard. Exegef. §. 91. p. 707. seqq.

§. 2. Præ cæteris autem hoc circa descriptionem Dei attendamus, omninò in illa mentionem personarum Trinitatis fieri debere, & absque hac Deum describi in Theologiâ non posse nec debere. Etsi enim absoluta Dei consideratio, ut est Ens summè bonum, sapiens, &c. abstrahi soleat quandoq; à consideratione ejus relativa & restrictiva ad modum existentia, quomodo scil. existat, an in uno vel pluribus personis? tamen illa consideratio absoluta, non est pars notitiæ revelata & salutifera, quæ in tribus personis essentiam divinam nobis sistit ac considerat. Ut ita credens nec possit, nec debeat, citra relationem ad modum existendi unum in tribus hypostasibus, considerare Deum, sed semper uno simultaneoq; actu & conceptu, Deum Patrem, Filium & Spiritum S. seu verum Deum sub tribus hypostasibus concipere & contueri. V. Balduin. l. II. c. 2. Cass. Conscient. cas. I. sub finem p. 85. Sicut autem Deus concipi & cognosci, ita etiam describi debet. V. Hutt. in Loco de Deo c. I. proposit. 2. fol.

III. Fundamenta singulorum membrorum in descriptione DEI studiosè investigari debent, & semper in promptu haberi. Chemnit. pag. 67.

§. 1. Etiam si enim in Essentia sua Deum nemo viderit unquam Johan. I. 18 & ille habitet in luce inaccessâ I. Timoth. VI, 6. &c. tamen per nomina certa & vocabula nobis satis cognita & perspecta

tantum de se revelavit in Scriptura, quantum ad salutem nostram nobis in hac vitâ necessarium esse, iudicavit.

§. 2. Hinc toties mentio fit in Scripturâ *NOMINIS DEI*, quô ipse *Deus* significatur, *quatenus* is in Verbo suo se *nominabilem* fecit, tum ratione *Essentie* suæ, tum ratione *Attributorum* suorum, Bonitatis, Omnipotentia, Sapientia &c. tum ratione *Operum* Creationis, conservationis, gubernationis, Redemptionis &c. Et ita per nomina, quæ etiam nostris rebus competunt, suam naturam exposuit, nobisque sese manifestavit. Hæc nomina *Dionysius Areopagita* in *l. de Nominibus divinis*, ad XIX. generalia capita retulit, commodius autem in quatuor descriptionis Dei membra, ea distribui posse, censet *Chemnitius* noster p. 67.

§. 3. Et nomina ista, aliâs *attributa* appellata, non deviant ex toto, à significatu illo, quem habent, quando de nostris rebus usurpantur easque enunciant. De *negativis* nominibus, & quæ à Deo aliquid remonent, res est aperta. Tantum enim abest, ut istis perfectioni Dei aliquid derogetur, ut potius illa stabiliatur per remotionem istorum, quæ imperfectionis arguunt Creaturas. Quin imò dum nomina illa *formaliter* negant ac remonent aliquid ab *Essentiâ* Dei, simul *fundamentaliter* positivam quandam perfectionem semper ponunt, ita enim v. g. corpus Deo denegatur, ut simul connotetur eam esse *Essentiam* spirituales; & ita mors à Deo removetur, ut vita essentialis ei tribuatur. *Positiva* autem vocabula Deo tributa aliquam attemperationem postulant. Liberanda enim illa prius sunt ab omni imperfectione, & paululum corrigendus est *modus attributionis*, qui ipsi rei ita denotata ac hoc vel illò nomine insignita, per & propter suam imperfectionem, adhæret. Sic quando *Sapientiam* de Deo prædicari audio, non modò ab omni Imperfectione liberare debeo illam vocem, quæ sub conditionem qualitatis & accidentis in hærentis cadit, & taliter à me concipitur in rebus creatis; sed cogitandum statim est, infinitè perfectiorem esse Sapientiam in Deo, eamque ita tribui, ut is ipse *non habeat* eam, sed ipsa etiam sapientia sit. Non igitur totus significatus nominum à rebus creatis, ad ipsam Dei naturam & *Essentiam* indicandam, ap-

applicatorum mutatur, sed tantum paululum & pro' conditione
ejus, cui ista tribuuntur, & de quò enunciantur, *inflectitur & at-*
temperatur. Vid. B. Gerbard. Tom. I. L. Theol. de Nat. & attrib. Dei
S. 59. pag. 230. Thomas part. I. q. 13. art. 3. & 6. Zanchius T. III. Opp. I. I.
de Nat. Dei c. 8. f. 14. seqq.

IV. Quæ de Deo prædicantur, & quorum
medio in ipsius Dei naturæ cognitionem saluta-
rem provehimur, probè sunt distinguenda, nec
Essentialia prædicata cum *personalibus* seu relati-
vis confundenda. Chemn. p. 65. 68.

§. 1. Nomina ista, quibus Deus sese suamque naturam nobis
revelavit & quasi foras prodiit, sunt vel *Essentialia*, vel *personalia*.
Priora competunt Deo, ratione *Essentia* omnibus tribus personis
communis, & ut Chemnitius N. I. pag. 68. notavit, dicuntur *attri-*
buta, τὰ ἴδι' θεῶ λέγόμενα, ut Damasc. I. I. de Orth. F. C. 12. nominat:
Posteriora verò ratione *personarum* & singulatim de personis præ-
dicantur, ac vocantur *Relationes* & *proprietates*, ad discernendas
ab invicem personas Divinitatis. Hæc sunt *Idiomata characteri-*
stica, scribit Chemnitius cap. I. de duab. nat. in Christo pag. 1. b. sicut
veteres Græci appellant, hoc est, quasi *characteres*, *signa* seu *nota*, qui-
bus *personæ Trinitatis*, cum *essentia* unum sint & qualibet *persona* sit to-
ta *essentia divina*, inter se differunt & discernuntur.

§. 2. *Essentialia* attributa non tantum, partim *negativa*, par-
tim *affirmativa* sunt, uti Chemnitius ea appellat, de quibus §. 3.
Theor. præced. diximus, sed etiam vel *absoluta*, vel *relativa*. *Priora*
Deo absque ulla relatione attribuuntur, suntque partim ἀνεπέργη-
τα, & *Essentia* Dei, prout in sese consideratur, seu quâ existit, com-
petūt, & in ipso sinu Deitatis manent ac foràs ad extra, immediatè
non progrediuntur, ut sunt *unitas*, *simplicitas*, *veritas*, *bonitas*, *in-*
finitas, *independentia*, *immutabilitas*, *Æternitas*, *immensitas*, *in-*
comprehensibilitas: partim ἐπεργητά seu *Operativa*, quæ *Essentia*
Dei, prout *actiosa* illa est, tribuuntur, & externâ operatione im-
mediatè sese proferunt, ut sunt tum ipsa Dei *vita*, tum ejus *modi*,
A 3 qui

qui vel eadem sunt cum modis Essentiæ, ut *Spiritualitas, Impatibilitas, Immortalitas*; vel alia & ex vita deducuntur, ut, *Intellectus, Scientia, Sapientia, Voluntas*, ad quam pertinet *Sanctitas Dei*, quæ spectatur vel in *affectibus*, ut sunt *Amor & odium*; vel in *Virtutibus*, quæ sunt *Iustitia, Patientia, Mansuetudo, Potentia, Sufficientia, Gloria, beatitudo*, de quibus in specie videatur *B. Hopfnerus in tractatu de attributis divinis. Posteriora* verò attributa Essentialia sunt, quæ cum respectu ad *Creaturas* de Deo enunciuntur, & sunt *Creator, Dominus &c.*

§. 3. *Personalia* attributa sunt ejusmodi relationes & proprietates, quibus una persona ab altera intra *Essentiam divinam* realiter discernitur, *Chemn. N. 2. pag. 68.* & sunt *Generatio activè sumta, Generatio passivè sumta & spiratio*, non *Physicè*, sed *Grammaticè* vocabul. hoc accepto. *Has proprietates personales à notionibus personalibus* alias distinguere solent *Theologi*, ut nequaquam illæ cum his confundi debeant. Nam *notionum personalium* una ac altera, uni personæ tribui & competere potest, v.g. *Patri* tribui potest, *Innascibilitas, Spiratio activa, Generatio activa: Filio* tribuitur præter *nativitatem* etiam *spiratio activa Spiritus Sancti: Spiritui Sancto* præter *spirationem passivam* leu *processionem* competit *ἀγεννησία* seu *innascibilitas*: *Proprietates autem personales* non nisi *uni personæ* tribuuntur, & hinc realiter etiam easdem discernunt ab invicem. Unde ex *numero notionum personalium* non potest colligi *numerus personarum*, sed unice ex *illarum proprietatibus ad intra. Hutter. de Trinit. quest. 3. cap. 1. propos. V. fol. 103.* distinguit inter *proprietates relativas constituentes*, quæ relationem habent ad alteram personam ratione productionis, & inter *proprietates signantes*, hoc est, quæ tantum designant, quælis in se & ex se sit persona. Sic *Innascibilitas* est *proprietates patris*, non quatenus se relative habet ad producendum filium, sed tantum quatenus ex se & per se spectatur, &c.

§. 4. *Hæc personalia* attributa seu relationes ad intra non tantum bene discerni debent à *relativis attributis Essentialibus*, sed etiam à *relationibus personalibus externis*, quæ sunt *beneficia & opera Dei erga creaturas, imprimis erga homines, & maxime Ecclesi-*
fians

fiam, ut sunt *Creatio*, *Redemptio*, *Sanctificatio*, quibus tres personæ SS. Trinitatis in *Apostolico Symbolo* discernuntur. Nam in hisce non tantum habetur respectus ad creaturas, uti in attributis relativis essentialibus; sed etiam, ut *Chemnitius* noster loquitur, *relative de Deo* dicuntur, ac ad ipsas personas SS. Trinitatis simul, iisdem respicitur, non quidem quantum ad *principium* summum harum actionum attinet, quod unum idemque est ac indivisum, sed, quantum est ad *distinctum modum habendi Essentiam & potentiam* divinam numero unam eandemque, & ad *distinctum ordinem* agendi & *terminos* actionum. Ita *Creatio* est proprietas externa personalis, & Patrem à Filio & Spiritu S. distinguit, non ita, ut excludat Filium ac Spiritum S. à *Creatione*, aut diversa *Creationis* principia inducat, vel *causas socias* ex tribus personis faciat, sed quia *modus habendi potentiam illam creandi, personalis* est ac *distinctus*. Nam *Pater* potentiam hanc creandi à seipso habet, sicuti & *Essentiam*; *Filius* verò eam habet à *Patre* per *generationem æternam*; & *Spiritus Sanctus* à *Patre & Filio* per *æternam processionem*. Nihilominus quia una numero *Essentia & potentia* Patris, Filii ac Spiritus S. est, unus *Creator* omnes tres personæ sunt, non tres *Creatores*. Ita *Redemptio* est proprietas externa personalis, quæ *Filium à Patre & Spiritu Sancto* distinguit, ut personam à personis, non quòd *Pater* ac *Spiritus S.* excludantur à *redemptione* nostrâ, sed propter terminum actionis hujus, qui unus *Filius* est, in quò actio ipsa terminavit. *Pater* n. ita ordinavit, *Filium* misit, ac *λύτρον* solutum acceptavit; *Spir. S.* verò unxit *Filium* secundum carnem; sed solus *Filius* meruit & acquisivit salutem, solus enim ille carnem assumpsit, & pro nobis mortuus est. Ita *Sanctificatio* *Spiritu S.* tribuitur, non quòd *Pater & Filius* excludantur, & nò etiam sanctificent; sed quia *Operatio & actio* hæc proximè terminatur in *Spiritu S.* ipsique immediate competit, eò quòd à *Patre & Filio* mittatur, ut sanctificet & congreget *Ecclesiam*. Et hoc omne *Chemnitius* suâ observatione indicare voluit, quam his signavit verbis pag. 68. *Quæ de Dei actione vel universali vel speciali predicantur, etiam relative de Deo dicuntur.*

dicuntur & sunt unius, solius ac totius Divinitatis: servato tamen ordine personarum & salva cujusque personæ proprietate.

V. Prædicata seu attributa Dei *re ipsa* tùm ab *Essentia* Divina, tùm *inter se* non distinguuntur aut *multa* sunt, sed tamen *nostrò* considerandi modo, ut multa & diversa à nobis concipiuntur & distinguuntur. *Chemn. p. 69.*

§. 1. Quæ enim ex natura rei differunt, sunt vel *res planè* diversæ, vel etiam, ut *Scotista* volunt, & quod *Philosophis* discutendum damus, sunt *unius ejusdemq; rei diversæ definitiones* aut *diversi modi*; & priora *realiter*, posteriora verò *formaliter* aut *modaliter* differunt. Jam *attributa divina* non sunt *diversæ res*, nec unius *ejusdemq; rei diversæ quidditates ac modi*, quia pugnaret hoc cum Dei simplicitate & perfectione: E. attributa Dei non differunt ex natura rei. *In divina natura omnia idiomata sunt essentialia*, quæ non sunt *aliquid distinctum aut diversum ab ipsa Essentia Dei*. Si enim *divina* & *σία* ab aliquo alio à se diverso perficeretur, b. est, *melior, beatior & perfectior* redderetur, tunc non esset *simplicissima essentia*, nec esset *ipsa summum & perfectissimum bonum*. *Divina igitur essentia potens & sapiens est*, non *potentiâ & sapientiâ*, quæ *aliquid distinctum sit, tanquam qualitas ab essentia*, sed est *ipsa omnipotentia, sapientia, bonitas &c.* verba sunt *Chemnitii l. de duab. nat. in Christ. c. I. p. 141.*

§. 2. Ut ut autem ita sit, & in ipsa Dei essentia & attributis non sit discrimen, nec quicquam *divinæ Essentiæ* superaddatur; tamen *aliquò modo* distinguuntur in intellectu scil. *nostro* seu *per modum concipiendi nostrum λόγῶν* sive *Ἰννοῖα* ut *Basilii* l. 1. contra *Eunomium* loquitur; Et quidem *distinctione rationis*, non quidem *nudâ*, & quæ *rationis ratiocinantis* appellatur, ac mera *fictionis* est, omnique fundamento extra mentem destituitur; sed *rationis ratiocinatæ*, quæ extra mentis operationem habet fundamentum suum, scil. in *Essentiæ divinæ objectis ac effectis*, unde fit, ut quod in sese unum est, per conceptus nostros *formalis* distin-

stinguatur. Ita aliter concipio in intellectu meo *Iustitiam*, quatenus nimirum Deum concipio cum hoc connotato, quod punit peccata; aliter *Omnipotentiam*, attendendo hoc, quod possit facere omne id, quod fieri est possibile; aliter *misericordiam*, quatenus concipio Essentiam Dei, creaturæ miseræ & seductæ compatientem, & opem tum ferre volentem, tum facientem. Hi tamen conceptus cum extra Deum sint, & extrinsecè Essentiam Dei denominent, nihilq; in Deo ponant, nihilq; eidem detrahant, ipsa Essentia Dei manet simplicissima & immutabilis, licet aliter ac aliter à nobis concipiatur pro diversitate objectorum & effectorum. Quod enim Essentia creata per multas & distinctas qualitates præstat, id divina Essentia per seipsam propter infinitatem, simplicitatem & perfectionem suam & potest & facit. V. Gerhard. Tom. I. L. T. de Nat. & attrib. Dei §. 47. seqq. in Exeges. §. 104. B. Gravver. Diss. I. Cent. qq. illustr. quest. 9. & Diss. II. quest. 10. & Diss. IV. quest. 5. B. Hutterus Loco de Deo cap. I. quest. 2. propos. 2. Calumniam verò, quã hîc, ex asserta verã & reali cõmunicatione Idiomatum carni Christi factã, assuunt Lutheranis Calvinistæ, fideliter coercuerunt B. Gerhard. in Orat. Tom. I. sub finem, annexa in Exeges de Nat. & attrib. Dei §. III. p. 737. & in Exeg. L. de Christo. §. 256. p. 1441 Dnm. Theol. Marpurgens. in Apologia sua contra Casselanos quest. VI. B. Mentzer. contra Sadeel de Comm. Idiomat. p. 129. B. Pappus in A. Conf. pag. 59. 60. B. Hunnius Tom. I. Opp. fol. 162. seqq. Hutter. in F. C. p. 801. 802 & in Locis de CHRISTO fol. 168 seqq. Gravver. in Art. III. A. Chr. p. 56. Althoffer. in Diss. Anti-Becmanno subnexa p. 638 seqq.

§. 3. Et ob hanc distinctionem fundamento suo non destitutam, non tantum fit, ut attributa Dei non planè sint *Synonyma* seu *equipollentia*, Logicis τὰ πλυνόμενα dicta, quia scil. non secundum eandem omninò rationem attributa ista significant; sed ex eadem etiam explicandi sunt nonnulli nostratum Theologorum, qui inter Essentiam & attributa Dei *formalem* faciunt differentiam. Non statuunt hi realem differentiam, nec contrarii sunt Chemnitio nostro, aliisque Theologis, sed phrasin suam paulò latius inflectunt, & τὸ formale opponunt *nude fictionis mentis*, non

B

autem

autem distinctioni rationis ratiocinata; ac per formam intelligunt non formam, quæ esse rei dat, sed diversum respectum ex Objectis & effectorum diversitate ortum, quæ sunt occasio, ex qua ratio sumit differentiam attributorum.

§. 4. Huic simplicissimæ explicationi doctrinæ nostræ de attributis Dei, quæ regulam à Cyrillo, Augustino & aliis Patribus frequentatam: *In Deum non cadit Accidens*, stabilit, non obstant *Incarnatio, Creatio, &c.* quæ de Deo temporaliter prædicantur, & ita aliquid præter ejusdem Essentiam, & in tempore in Deo ponere videntur. *Incarnatio* enim & *Creatio*, prout præcisè actum aliquem Deo in tempore competentem notant, non intrinsecè sed extrinsecè denominant Deum, ac propterea non sunt attributa Dei, sed, ut Chemnitius pag. 69. & 70. ex Scholasticorum regula id exponit, non in Deo, sed extra Dei Essentiam aliquid ponunt, & prædicantur de Deo, non per Essentiam vel inhærentiam, sed vel per modum cause, ut *Creatio*, vel per modum Unionis, ut *Incarnatio*. Nam per *Incarnationem*, λόγος assumendo naturam humanam, non mutatus fuit in carnem, sed mansit, quòd antea fuit, & citra Essentia suæ divinæ mutationem, ac immutabilis permanens, eandem assumpsit, omnisque mutatio circa carnem facta fuit. Ita in *Creatione* omnis mutatio circa *Creaturam* facta est, non circa *Creatorem*. Ut enim B. Hunnius id exponit T. I. Opp. in loco de Trin. fol. 86. actiones Dei externæ ut non absolute necessitatis, ita non insunt Deo ut accidentia subjecto: sed potius proficiscuntur à Deo ut effectus à causa. Et addit præterea: Deus non mediante vel habitu vel qualitate aliqua inherente agit, sed immediate sua essendi virtute. V. Gerhard. Tom. I. Loc. Com. de Nat. & attrib. §. 100. & in Exeges. §. 154. Gravver. in A. C. art. I. p. 178.

VI. *Affectus* omnes Deo quidem adimendi non sunt, exponi tamen rectè debent, Chemnit. pag. 70.

§. 1. Vapulant Scholastici à Chemnitio nostro, quòd ex regula: *In Deum non cadit Accidens*, pravè intellectà, negaverint omnes in Deo affectus & dulcissimas consolationes ex dictis Hof. XI,

XI, 8. 9. Es. XLIX, 15. LIV, 8. Jerem. XXXI, 3. turbatis conscientis, planè ita abstulerint.

§. 2. Loquitur autem *Chemnitius* non de affectibus imperfectis, qui derivati appellari solent, quòd ex perfectis fluant, quique circa bonum ac malum, qua præsens vel absens istud est, versantur, unde *Passivos Scaliger* eos vocat; sed de affectibus perfectis, qui primitivi sunt, & circa bonum & malum in commune versantur, & simpliciter perfectionem in se includunt, quales sunt *Misericordia* & *Odium*, quæ in sese perturbationem animi non involvunt, quicquid sit de affectibus hisce, prout isti in hominibus existunt, ubi passionem ac perturbationem secum habent, sicut *Misericordia* apud *Aristot.* l. 2. *Rhet.* *Cicer.* 1. *Tuscul.* *Senec.* I. de *Clementia*, & ipsam etiam *Augustin.* l. de *C. D.* cap. 5. per ægritudinem animi ex alterius miseria conceptam, definitur; & *Odium* per affectum mixtum ex justitiâ & ulciscendi desiderio. Hoc omne enim imperfectio est, quæ affectibus hisce, non ut in sese sunt ac spectantur, sed prout in hominibus illi sunt, adhæret.

§. 3. Unde affectus perfecti Deo attributi, non accidentia sunt, sed modi essentialis, ac nihil aliud significant, quàm voluntatem Dei vel in amplectendo bono, vel in detestando malo, atque prout illa ad extra, ratione diversorum objectorum & affectorum circa ista objecta productibilium à voluntate Dei, spectatur. Aliàs si in ipso sinu Deitatis Voluntas Dei consideratur, non habitò respectu ad objecta & effecta extra Deitatis sinum posita, nullum discrimen est voluntatis divinæ. Habet autem & hoc Deus per summam simplicitatem & perfectionem suam, ut absque omni sui mutatione & amare & odisse possit, cum in homine non nisi per qualitates contrarias affectus isti fiant, V. *Gerhard.* in *Exeg. de Nat. & attr. Dei* §. 222. p. 851.

§. 4. Cum imperfectis autem affectibus ut sunt desiderium, dolor, ira, penitentia &c. aliter res comparata est. Quia enim hi in sese & sua natura, passionem aliquam & perturbationem in animæ facultatibus, sive concupiscibili, sive irascibili important (i.) non nisi improprie Deo attribuuntur per similitudinem quandam, non in Deo, sed extra Deum in ejus effectibus apparentem. Simili-

tudo autem nominibus istis significata (2.) non petitur à natura ipsa affectuum, quæ est v. g. desiderare aliquid ad habendum, quò perficiatur, dolere, quòd res aliter evenerit, &c. sed ab eorum effectu, quando v. g. ipso opere vel non præstantur media potiundi aliquâ re, vel id quod quis antea fecerat, destruitur. Ita Deus dicitur desiderare salutem, quando præstat ipsò opere, aut certè præstare paratus est, media, quibus ad salutem pervenitur; dicitur penitere, quando homines perimit de terra, quando Reges de solio regio præcipitat, &c. Et de hisce affectibus valet regula: Affectuum nomina Deo attributa ponuntur pro effectis. Vide hæc latissimè exposita à Dn. D. Glassio l. V. Philolog. Sacr. p. 117. seqq.

CAP. III.

De

Essentia unitate.

I. Singulis attributis Dei, sicut & singulis operationibus Dei non peculiare attingi debent Dii, sed unus & unicus est Deus. Chemn. p. 73.

§. 1. Opponitur hoc deliramentis & absurditatibus Valentinianorum, Manicheorum, Marcionitarum latè à Chemnitio commemoratorum, qui πολυθεϊαν invexerunt in Ecclesiâ, imprimis doctrinâ Platoniciam & Philosophiæ abusu eò adducti, ut propterea Tertullianus l. de præscript. adv. heres. c. 7. f. 201. & l. adv. Hermog. c. IIX. f. 231. non tam eleganter quàm verè, judicante nostro Chemnitio p. 74. Philosophos hereticorum Patriarchas dixerit. Quod tamen de Philosophis in sese talibus non pronunciavit, ut in contemptum laudatissimorum horum Virorum id cedere possit; sed de certis tantùm subjectis, & illis potissimùm, qui abusu pessimò distincta disciplinarum genera inter sese confundebant, & ex Philosophorum Scholis ad Ecclesiam transeuntes rationem in obsequium fidei captivare volebant. Id quod ipsi Philosophiæ in sese spectatæ minime tribuendum erat, nec hodiè opprobrio esse potest.

§. 2. Valentinus natione Ægyptius in secundo seculo tot Deos fin.

fixit, quot beneficia ac nomina in Scriptura Deo tribuantur. Ambitione correptus in hanc non tam hæresin, quam ipsum paganismum incidit, quod ex *Irenæo* & *Tertull.* notavit *Chemn* p. 73. & Sarcasmum Diaboli simul observavit *Cerdon* Valentini discipulus & *Marcion* ultionis studio, *Cerdonis* discipulus factus, in eodem seculo duos Deos docuerunt, unum V. alterum N. Test. Unum lævum, rigidum & punientem: alterum bonum, misericordem & clementem. *Chemn.* pag. 74. Manes cum suis *Manichæis* in tertio seculo duos Deos contrarios, unum Bonum, alterum Malum statuit *Chemn.* p. 75.

§. 3. Hodierni *Photiniani* distinguunt inter *Verum* Deum & *Summum* Deum. *Certissimum est*, scribit *Socinus* in *Exam. Centum errorum contra Smiglecium Err. I.* non unum tantum Deum esse verum. Et paulò post: *Summus Deus non potest esse nisi unus, Veri autem plures uno sunt.*

II. Essentia Dei unitas est *singularissima*, cui similis in universa natura non datur.

§. 1. Non enim Unitas hæc, est (1.) Unitas tantum consensus, quæ plurium esse potest, si in uno consentiant, uti ex *Aëtior. IV*, 32. *I. Cor. III*, 8. eam fixerunt *Valentiniani*, notante *Chemnitio* p. 74. Neq; (2.) Unitas *universalis*, sive ea generis sit, sicuti omnia animalia unum sunt, sive *speciei*, quo modo omnes homines unum quid sunt, ut propter à tituli de Deo in *Genere* & in *Specie*, in *Loco de Deo* apud *Chemnitium* apparentes, ἀκυρολόγως positi sint, sicut *suprà* notavimus c. 2 *Theor. I. §. 1.* Quod n. ita unum est, non verè & realiter unum est, sed saltem per fictionem mentis, quæ sub una idea multas & diversas res ita concipit. *Unitas hæc competit rebus à Mente* inquit *B. Hann.* in *L. de Trinitat. f. 89. Tom. I. Opp.* Neque (3.) Unitas *numerica* sive *predicamentalis quantitativa*, sicuti unum numero est, quod ex multis compositum est, & per unitatem quantitativam mensuratur, sive *relativa* & secundum quid tantum, quæ numerum continet & includit, sicuti *Petrus* est unus numero homo, quò sensu *Basil. epist. 141. ad Casareenses*, & *Ruffinus* in *expositione Symbol. sect. VI.* aliique *Patres à D. Klotzio* in

Theol. Natural. p. 360, citati, negarunt Deum esse unum numero, ut ex allegata apud Basilium ratione apparet: πῦν γδ, ὃ ἐν ἀριθμῷ λέγεται, ἔτι οὐκ ἐστὶν ὄντως, ἔδ' ἀπλῶν τῆ φύσει ἐστίν. Quod enim taliter unum numero dicitur, id unum revera aut natura simplex non est. V. D. Græver. Disp. III. qq. Illustr. quest. 2. §. 9 seqq. & Disp. II. quest. 1. §. 20. Sed (4.) Transcendentalis & eminens, imò plus quàm Metaphysica.

§. 2. Non enim tantum per naturam suam Deus prorsus indivisus est, & indivisibilis, ita ut in sese habeat Essentiam à se ipsa non discrepantem, & ab omnibus Entibus & non-entibus actu & potentia divisus sit, atque omnem prorsus tam divisionem, quàm divisibilitatem sui, hoc est, Essentia suæ excludat: sed etiam ista unitas numerica coexistit tribus personis seu individuis intelligentibus, quæ unam numero divinam habent Essentiam, cujus unitatis nullum exemplum in natura non tantum datur, sed nec per naturam concipi potest, cum nulla Substantia intelligens individua, sub alia unitate quàm numerica & Individuali, concipiatur. Hoc bene Lutherus noster in cap. I. Genes. observavit, ubi remotis omnibus cæteris unitatis speciebus, tandem concludit ac docet, Deum esse unam singularissimam & Unissimam unitate. Et Victor l. 3. contra Arrianos: Deus est unus plusquam numero, quia in his rebus, quæ dicuntur esse unum numero, licet semper reperire aliquam multitudinem; at in Essentia divinâ non licet. V. Hutter. in L. de Deo quest. III. prop. I. f. 97. Gerhard. T. I. L. C. de Nat. & attr. Dei §. 43. & 44. & in Exeg. §. 95.

§. 3. Hinc cautè etiam loquendum est de Dei unitate, & in promptu habere expedit modos loquendi de unitate Dei, ab Ecclesia rejectos, quos Chemn. p. 104. in tabula sistit.

§. 4. Frustrà autem Anti-Trinitarii impugnant Trinitatis mysterium ex Unitate numericâ Essentia divinæ; quod ex recentioribus præ cæteris Crellius facit, in l. de Deo & attributis, libris Job. Volkeli de vera relig. præfixo p. 113. Nam supereminens hæc Unitas est, & Identitatem numericam essentia divinæ in tribus personis ponit. Ac Deus dicitur unus, non ratione personæ, quasi una numero sit persona; sed propter unitatem Essentia, quia una numero

mero Essentia divina est, & omnes tres persona divinitatis simul sumpta, Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint unus numero & Individuus Deus, ac unam eandemque numero divinam Essentiam habeant. V. B. Meisner. Considerat. Theol. Photin. pag. 348. & 397. ubi ἀουλογιστικῶν hanc luculenter ostendit: In hoc mysterio, inquit, non à Trinitate ad Trinitatem, nec ab Unitate ad Unitatem, sed ab Unitate ad Trinitatem & à Trinitate ad Unitatem semper est pergendum. Et ab hâc numerica identitate essentiae in tribus personis existente, etiam postea pendet Identitas operationum Dei ad extra, ut non tres creatores sint, sed unus Creator, non tres Domini, sed unus Dominus &c.

III. Unitas divinæ Essentiae ex sola scriptura ac revelatione Dei creditur ac cognoscitur.

§. 1. Etiam si enim ex natura quoque Deum esse unum rationibus non contemnendis probari possit, & à nonnullis prolixè id ostendatur; tamen uti fidem humanam tantùm & opinionem quandam, non autem divinam fidem ac certitudinem hæc argumenta gignunt in homine: ita nec ipsam Unitatis divinæ conditionem explicant atque exponunt, quæ à natura planè ignoratur, cujusque vestigia nullibi apparent. Sola Scriptura ita Deum unum esse docet, ut Patrem, Filium & Spiritum Sanct. de una Essentia divina communicare quidem doceat, sed tamen unam numero Essentiam Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse, ostendat.

§. 2. Textus Scripturæ potiores à nostro Chemnitio allegantur, in quibus non tantùm per simplicem assertionem Unitas Dei probatur, quando dicitur unus Deus. VI, 4. (qui textus non habet parem in tota Lege, ex Judæorum mente, uti Paulus Fagius ad hunc loc. annotavit, quem suis לפני fronti & sinistro brachio alligari solitis, inscribunt, quemque singulari cum devotione, & quidem in odium Christianorum ex pravo doctrinæ de SS Trinitate intellectu, recitant, ac ultimum תהא ad horæ vel semihoræ spatium quandoque protrahunt, imò cubitum ituri, tantisper etiam repetunt, usque dum languor somnum conciliet.

72.
liet) *Malach. II, 10. Ephes. IV, 6.* sed etiam per *negativas, Deut. IV, 35. 39. cap. XXXII, 39. exclusivas & exceptivas* propositiones, *Es. XLIII, 10. XLIV, 4. XLV, 5. 6. 7. 21. 22. I. Cor. IIX, 4.*

§ 3. In quibus omnibus *Locis Subjecti* non minùs quàm *Predicati* ratio haberi debet. *Subiectum* est *אלהים יהוה* Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ille enim Deus intelligitur, qui sese in opere Creationis, in opere educationis populi ex *Aegypto*, in publicatione legis, &c. revelavit: At Pater, Filius ac Spiritus Sanctus in istis operibus sese revelarunt: E. Pater Filius & Spiritus Sanctus per *אלהים יהוה* intelliguntur. Sub hóc & non aliò conceptu etiam de Deo cogitare debemus, si aliter conceptus noster veræ Dei naturæ congruus ac conveniens esse debet. Hic Deus Pater, Filius & Spiritus S. est *unus*, uti in *Nov. Testam. Johannes* exponit, *ὁ πατήρ, καὶ ὁ λόγος καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον ἐν εἰσιν, I. Epist. V, 7.* scil. in *Essentia*, ut præter has tres personas, quæ Deus sunt, non alius verus sit. Etsi enim sunt, qui dicuntur *Dii*, non quidem falsò, ut *Gentilium Idola*, sed *verè* propter divina officia, quæ gerunt & in se habent; tamen *verus Deus* non sunt, licet verè & non fictè ita appellentur. Potest enim quis aliquo nomine verè appellari per analogiam & similitudinem quamdam veram, sed tamen non statim id ipsum est, à quo similitudo & analogia est petita. Et ita Angelus ac Magistratus verè dicuntur *אלהים*, non verò verus Deus ac *אלהים* sunt.

CAPUT IV.

De

Operibus Dei in gen.

I. Opera Dei sunt vel ad *intra* vel ad *extra*: priora sunt *notionalia & personalia*: posteriora verò *essentialia*. *Chemn. p. 96. 97.*

§. 1. *Distinctio* hæc non est figmentum *Scholasticorum*, sed *fundamentum in re* habet, Cùm enim in Deo quædam actiones sunt

sunt, quæ in ipsâ essentiâ divinâ terminantur, ut sunt *generare, spirare*: quædam verò extra essentiâ Dei terminantur & foras respiciunt, ac etiam procedunt, omnino Ecclesiæ Doctoribus discrimen hoc advertere licuit. Et priora quidem *personalia* dicuntur, quia personarum divinarum sunt propria, per quæ etiam una ab altera in sinu Deitatis distinguitur: posteriora verò *essentialia*, quia omnibus tribus personis communia sunt, illisque per essentiâ suam competunt.

II. Opera ad extra sunt vel *interna*, vel *externa*: priora *immanentia* & in Deo sunt: posteriora verò *transeuntia* & non in Deo, sed à Deo.

§. Etiam hujus distinctionis hîc meminisse juvat, ne commisceantur Opera Dei interna cum Operibus ad intra. Nam Opera ad intra tendunt in objectû, quod est ipse Deus, & respectum seu relationem ad creaturas & id quod extra Deum est, non habent, sed saltem ad personas deitatis in ipsa essentiâ divina, referuntur: vel, ut Chemnitius loquitur pag. 98. *Deus illa facit extra omnem creaturam intra sese: Opera verò interna, ut in Deo immanent & æterna sint, v.g. decretum de redemptione generis humani, de vocatione, prædestinatione, & tamè in objectum tendunt, quod aliud est ab ipso Deo, licet unitum sit Deo in intellectu & actu interno in illud is tendat; Unde & suam in Deo distinctionem ab objecto hoc accipiunt, & cum connotatione objectorum, ac per modum actuum, à nobis concipiuntur.*

III. Opera Dei ad intra sunt *divisa*. Chemnit. pag. 97. 98.

§. 1. *Divisum esse, Patribus, à Gerardo Tom. I. L. T. de Trinit. §. 36. notatis, idem notat, ac non commune omnibus personis esse, & omnibus tribus personis ex aquo non competere, sicuti nosster Chemnitius etiam statim pag. 98. exponit, ita ut unâ operante persona, simul cæteræ nõ operentur. Sic quando Pater generat ab*

C

ater-

æterno Filium, Filius non generat, & cum Pater & Filius ab æterno producant Spiritum S. Spiritus S. non producit.

§. 2. Et de Operibus ad intra, quæ personalia sunt, hoc verum est; Indè enim unicè & solùm, distinctio personarum divinarum unius numero Essentiæ in Deitatis sinu, existit.

§. 3. Omnia Dei Opera à Deitate sunt, & ex ea fluunt, sed non æqualiter omnia Dei Opera hîc sese habent. Nam Opera ad intra ex Deitate fluunt, non quatenus ex æquo illa communis est omnibus tribus personis: sed prout certis characteribus determinata, ac ita characterisata est. Pater enim generat Filium, quatenus in ipso Deitas tanquam in prima persona, suo τρόπω χαρακτηριστικῶν est determinata. Filius gignitur à Patre, quatenus in filio determinata est divinitas; Et Spiritus Sanctus quatenus est tertia persona & ipsius Divinitas τρόπω χαρακτηριστικῶν tertiæ personæ Trinitatis proprio determinata est, à Patre & Filio ab æterno procedit. Το γενεραρε igitur, nasci ac procedere non sunt divisa, hoc est, communia omnibus tribus personis, sed singulis personis competit suum proprium opus, Patri το γενεραρε, Filio το nasci, & Spiritui S. το procedere, quibus operibus etiam tanquam proprietatibus suis personalibus tres personæ distinguuntur. Per generationem activam enim Pater est Pater, per generationem passivam (Grammaticè sumtō vocabulō) seu nativitatem, Filius est Filius, & per processionem seu spirationem passivam, Spiritus S. est Spiritus. Hinc etiam fuit distinctus modus habendi Essentiam divinam. Nam Pater Essentiam seu Divinitatem habet ἀγεννητως inascibiliter & à nullo; Filius habet eam γεννητως & nascibiliter; Spiritus S. verò eandem numerō communicatam Essentiam ἐκπροσειτικῶν per spirationem Patris ac Filii activam.

§. 4. Et ab ipsis operationibus Nomina personalia veniunt, Pater, Filius & Spiritus S. de quibus sequentibus locis noster Chemnitius monet, & nos infrâ pluribus cognoscemus. Pendunt inde etiam Unus & Alius, quæ personalia nomina sunt, nisi nomen Essentiale addatur, annotante Chemnit. p. 105.

IV. Ope-

IV. Opera ad extra verò sunt indivisa. Chemnit. p. 96.

§. 1. Ut divisum esse communitatem operationis excludit, ita indivisum esse eandem involvit, & hoc vult Regula, quod Opera ista, etiamsi uni saltem personæ in hoc vel illò Scripturæ S. textu tribuantur, minimè tamen ab illis excludantur cœteræ, sed omnes non tam de illis participant, quàm illa ipsa etiam operentur. Quando enim Deus extra suam Essentiam operatur aliquid in Creaturis, tunc tres personæ sunt simul, & simul operantur, uti noster Chemnit. p. 97. hoc explicat.


§. 2. Fundamentum hujus Regulæ est non tantum ὁμοῦσία trium personarum, ex qua tanquam confectarium pii Veteres regulam hanc deduxerunt, imprimis Augustinus, quod pag. 97. Chemnitius notavit; sed etiam insuper Scriptura id clare ostendit, dum unam eandemque operationem nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui S. tribuit; uti Chemn. p. 98. 99. observavit.

§. 3. Et hæc ex regula fit, ut (1.) unâ vel duabus personis nominatis, tota Trinitas simul intelligatur. Chemnit. pag. 98. (2.) ut nunc una, nunc dua, nunc tres nominentur Personæ & quandoque ordo personarum non servetur, Chemn. p. 99. Nimirum tunc personæ non considerantur, ratione proprietatum ad intra, ubi Filius Patri, aut Spiritus Sancti Patri & Filio anteponi non potest, cum Pater à nullo sit, sed Essentiam divinam à se habeat, Filius autem à Patre ratione æternæ nativitatis eam habeat, & Spiritus S. à Patre & Filio per æternam processionem; sed in respectu ad creaturas, ubi æquè primus ac novissimus Filius est atque Pater. Hinc Chrysostomus in 2. Thess. II. Homil. IV. fol. 1506. egregiè sentit contra eos, qui ex prinitate personali Patris, volebant ὁμοῦσίαν & æqualitalem Filii cum Patre impugnare: πῶς νῦν εἰσὶν οἱ τὸν υἱὸν ἐλαττῶντες, ἐπειδὴ μετὰ τὸν πατέρα ἐν τῇ χάριτι & λατρίᾳ ὀνομάζονται. Ἰδὲ γὰρ ἐν ταῦτα τὸναντίον εἰν: Ubi nunc sunt, qui filium dicunt esse minorem, quia post Patrem nominatur in gratia lavacri? (in Baptismo) Ecce enim hæc est contrarium (2. Thessal. II, 16, ubi ante Patrem Filius nominatur.

minatur) (3.) Ut etiam *particula exclusivæ* uni personæ v. g. Patri adjectæ, *non excludant alias* in Deo personas, sed *alias Deos*, cum aliâs, quando intra sese divinitas describitur, exulent semper & diserte à Christo rejiciantur. *Chemnit. pag. 99. 100.* (4.) Ut in *Invocatione* ad unam personam deitatis directâ, *cætera non excludantur.* *Chemn. p. 100. 101.*


§. 4. Omnia autem hæc non nisi de *principio Operum* ad extra intelligenda sunt, & quatenus illa à potentia divina *effectivè* pendent. Semper enim salva sit ac maneat, *Ordinis, modi ac terminorum à quo & in quo*, in ipso sinu deitatis, *distinctio*; nec turbentur *proprietates personales*, quæ non tantum *interna* sunt sed etiam *externa*. Vide *Caput. II. Theor. IV. §. 4.* Omnes tres personæ per *eandem numero* & planè indivisam ac indivisibilem *potentiam* hîc operantur, ita ut tota à Patre, tota à Filio, tota à Spiritu S. pendeant Opera ad Extra, Creatio, Redemptio, Sanctificatio: sed *tamen ordine quòdam & servata cujusque personæ proprietate*, uti ex *Augustino* contra *Felicianum* cap. III. Tom. VI Opp. fol. 775. monet *Chemnitius* pag. 101. Brevissimè omnia complectimur: *Opera Dei ad extra* sunt & *divisa* & *indivisa*. *Indivisa* quidem, ut *essentialia* sunt, spectatâ ratione *principii & efficientiæ* suæ: *Divisa* verò, quatenus *personalia* sunt, & ratione certi *ordinis, modi ac terminorum* agendi considerantur. Latius hæc exponit *Dn. D. Fevverborn. Fascicul. III. Disputat. IV. Thes. 60. pag. 227. seqq.*


§. 5. *Distinctio* hæc non est purè Scholastica aut ociosa, sed ut *Chemnit. pag. 102.* notavit, in *Invocatione & cultu nostro* omninò necessaria est, ubi non confusè tres personas invocamus, sed discrimina ac beneficia cujusque personæ propria consideramus, sicut etiam singulis sua in *Symbolo Apostolico* attributa sunt.



AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LOCOS

IV.

UNITA-
IN GE-

OVV SS. Theol.
D. Thomæ

JANO;
fi;

EKI.

5